

tempus noctis optatum. Observandum tamē hic pēcularitē est, quod si fortē contingat vt stella velut hic oculus & in plaga occidentali inueniatur, & margarita illius monstret tñ 30. minu. post medium noctis, tunc sane differentiam horariam inter oculum & Nadir ☉, hoc est minu. 54. & se. 20. quia subtrahere deberes a 30. mi: que oculus & cū vnione suo indicabat, et hęc impossibilis omnino est subtractio, noris tibi horas 12. ad 30. mi. esse adiiciendas, & tunc demum superiora illa 54. mi: & se. 20. ab ijs subtrahenda, inde quicquid remanserit horam tibi monstrabit quæsitam. Quamuis si quid valet meū in hac re iudicium siue consilium, Consultum mihi videretur, vt horam noctis inuenturus stellas in hoc tibi deligas, que non sit meridiano propinqua, sed ab illo longius vel ad occasum distet vel ad ortum, siquidem horæ apud circulum meridianum angustissimæ sunt, apud exortū vero capacissimæ, ex quib. ipsa etiā horæ minuta colligere queas exactissime

PROPOSITIO QVARTA

¶ Ortum & Occasum Solis, quantitatem itidem diei & noctis quottidie & in omni regione expedite inuenire.

Reposito iam brachiolo cum litera P super gradum Solis in Zodiaco tuæ elevationis polaris quadrantem hoc modo retine, vt filum cum pondere plumbi lineis horariis æquidistanter omnino dependeat, & lineæ istæ ostendent cum numeris suis adiunctis horam ortus & occasus solis, & hora quidem ortus duplicata totam habebis longitudinem noctis, geminata quoq; deinceps hora occasus solis videbis longitudinē diei ab ortu solis vsq; ad occasum.

CONCLUSIO HVIVS PARTIS

Sub hoc quadrante orthogonaliter se mutuo contingunt lineæ duæ, quarum quelibet in 100. partes diuisa est, alteri quidem adscripta sunt puncta vmbre rectæ, alteri, versæ. Has lineas plerumq; scalam altimetram vocamus, cuius opera & officio quomodo profunditates, altitudines, longitudines & latitudines dimetiri queas, non huius est instituti nunc multa differere, quum super hac re fusissime supra parte 3. libri huius plurima a nobis dicta sint & proposita.

PARS LIBRI HVIVS

SEXTA ET VLTIMA DE HOROLOGIO NOCTVRNO

instrumento naturali & non incerto, quo ex ipsis manuum digitis horam noctis certam colligas.

PROPOSITIO PRIMA

¶ Stellas quasdam in cœlo ad horologium istud dactilicum deseruientes internoscere.

SVnt, neq; raro mihi q; obuenerunt homines tales, qui quū nec aliquod habeāt instrumentum vnde horas discernant nocturnas, neq; horologium aliquod audiant, cupiant tñ vbicūq; sint noctu certum vel ad quartam vel mediā saltē horæ partem tempus cognoscere, Sunt qui cogitantes & videntes inuentum istud interdū horas ex manibus colligendi, mirentur non excogitatū quoq; esse hæctenus, idem ex manu tempore nocturno dignoscendi. Super hoc quum aliquamdiu meditatū ipse sim, inuenisse videor mihi stellas ex vrsa maiore duas huic rei cōmodissimas, quas & ob maiorem intellectu libuit appellare CB, eas agnosces hoc modo. Non tamen nunc denuo vrsam maiorem totam te docebo agnoscere, id enim supra didicisti parte 2. idq; eo maxime nō hic lubet repetere, ne quis in nos quoq; dictum putet seu torqueat illud satyricum

Nam quecunq; sedens modo legerat, hæc eadem stans

Proferet, atq; eadem cantabit uersibus iisdem

Occidit miseros crambe repetita magistros.

Tantum igitur breuiter ostendemus quomodo stellæ istæ imaginem & formam vrsæ referāt. Vrsa. n. illa stellas 7. magnas habet, & præter eas adhuc 20. minores, quæ & ideo ad huius currus cōfigurationē nō adhibentur, quāuis Azophi Arabs ex aliquot istius stellas labrum balneatoriu imaginetur. Stellæ porro illæ 7. a nobis (sicut hic vides) certis sunt literis cōsignatæ, vt facilius rem adsequaris & intelligas, & illas quidem 4. ex quibus rotas conficimus appellamus DECF, reliquas vero tres quæ in cauda vrsæ sunt & a no-